

HOOFDSTUK 2 ROMULUS EN REMUS

1. GEBOORTE EN JEUGD (*Ab Urbe Condita I, 3.10-6.2*)

Na de Trojaanse oorlog vestigen de Trojanen Antenor en Aeneas zich in Italië. Koning Latinus sluit een vredesverdrag met Aeneas en geeft hem zijn dochter Lavinia tot vrouw. Aeneas sticht vervolgens in haar naam zijn stad: Lavinium. Zij krijgen een zoon Ascanius (later Julius genoemd), die net als zijn vader een stad sticht: Alba Longa. Deze stad wordt enkele eeuwen door koningen van het geslacht Silvius geregeerd.

a. Amulius wordt koning van Alba Longa (*I, 3.10-11*)

- 1 Proca deinde regnat. Is Numitorem atque Amulium procreat;
Numitori, qui stirpis maximus erat, regnum vetustum Silviae
gentis legat. Plus tamen vis potuit quam voluntas patris aut
verecundia aetatis: pulso fratre Amulius regnat. Addit sceleri
5 scelus: stirpem fratris virilem interimit, fratris filiae Reae
Silviae per speciem honoris, cum Vestalem eam legisset,
perpetua virginitate spem partus adimit.

b. Romulus en Remus worden in de Tiber gelegd (I, 4.1-6)

1 Sed debebatur, ut opinor, fatis tantae origo urbis maximique
secundum deorum opes imperii principium. Vi compressa
Vestalis cum geminum partum edidisset, seu ita rata, seu quia
deus auctor culpae honestior erat, Martem incertae stirpis
5 patrem nuncupat. Sed nec di nec homines aut ipsam aut
stirpem a crudelitate regia vindicant: sacerdos vincta in
custodiam datur, pueros in profluentem aquam mitti iubet.
Forte quadam divinitus super ripas Tiberis effusus lenibus
stagnis nec adiri usquam ad iusti cursum poterat amnis et
10 posse quamvis languida mergi aqua infantes spem ferentibus
dabat. Ita, velut defuncti regis imperio, in proxima alluvie, ubi
nunc ficus Ruminialis est - Romularem vocatam ferunt - ,
pueros exponunt. Vastae tum in his locis solitudines erant.

c. De jeugd van Romulus en Remus (I, 4.6-9)

1 Tenet fama, cum fluitantem alveum, quo expositi erant pueri,
tenuis in sicco aqua destituisset, lupam sitientem ex montibus,
qui circa sunt, ad puerilem vagitum cursum flexisse; eam
submissas infantibus adeo mitem praebuisse mammas, ut
5 lingua lambentem pueros magister regii pecoris invenerit -
Faustulo fuisse nomen ferunt; ab eo ad stabula Larentiae uxori
educandos datos. Sunt, qui Larentiam volgato corpore lupam
inter pastores vocatam putent; inde locum fabulae ac miraculo
datum. Ita geniti itaque educati, cum primum
10 adolevit aetas, nec in stabulis nec ad pecora segnes, venando
peragrarum saltus. Hinc robore corporibus animisque sumpto
iam non feras tantum subsistere, sed in latrones praeda
onustos impetus facere pastoribusque rapta dividere et cum
his crescente in dies grege iuvenum seria ac iocos celebrare.

d. Remus wordt gevangen genomen (I, 5.1-4)

1 Iam tum in Palatio monte Lupercal hoc fuisse ludicrum ferunt,
et a Pallanteo, urbe Arcadica, Pallantium, dein Palatium
montem appellatum; ibi Euandrum, qui ex eo genere Arcadum
multis ante tempestatibus tenuerit loca, sollemne allatum ex
5 Arcadia instituisse, ut nudi iuvenes Lycaeum Pana venerantes
per lusum atque lasciviam currerent, quem Romani deinde
vocaverunt Inuum. Huic deditis ludicro cum sollemne notum
esset, insidiosos ob iram praedae amissae latrones, cum
Romulus vi se defendisset, Remum cepisse, captum regi
10 Amulio tradidisse, ultro accusantes. Crimini maxime dabant
in Numitoris agros ab iis impetum fieri; inde eos collecta
iuvenum manu hostilem in modum praedas agere. Sic
Numitori ad supplicium Remus deditur.

e. Amulius wordt vermoord (I, 5.5-7)

1 Iam inde ab initio Faustulo spes fuerat regiam stirpem apud se
educari; nam et expositos iussu regis infantes sciebat et
tempus, quo ipse eos sustulisset, ad id ipsum congruere; sed
rem immaturam nisi aut per occasionem aut per necessitatem
5 aperiri noluerat. Necessitas prior venit: ita metu subactus
Romulo rem aperit. Forte et Numitori, cum in custodia Remum
haberet audissetque geminos esse fratres, comparando et
aetatem eorum et ipsam minime servilem indolem, tetigerat
animum memoria nepotum; sciscitandoque eo demum pervenit,
10 ut haud procul esset, quin Remum agnosceret. Ita undique
regi dolus nectitur. Romulus non cum globo iuvenum—nec
enim erat ad vim apertam par -, sed aliis alio itinere iussis
certo tempore ad regiam venire pastoribus ad regem impetum
facit; et a domo Numitoris alia comparata manu adiuvat Remus.
15 Ita regem obruncat.

f. Numitor wordt koning (I, 6.1-2)

- 1 Numitor inter primum tumultum hostes invasisse urbem
atque adortos regiam dictitans, cum pubem Albanam in arcem
praesidio armisque obtinendam avocasset, postquam iuvenes
perpetrata caede pergere ad se gratulantes vidit, extemplo
5 advocato concilio scelera in se fratris, originem nepotum, ut
geniti, ut educati, ut cogniti essent, caedem deinceps tyranni
seque eius auctorem ostendit.
- Iuvenes per mediam contionem agmine ingressi cum avum
regem salutassent, secuta ex omni multitudine consentiens
10 vox ratum nomen imperiumque regi efficit.

HOOFDSTUK 3 ROMULUS, DE EERSTE KONING

1. DE STICHTING VAN ROME (*Ab Urbe Condita I, 6.3-8.3*)

a. Romulus en Remus willen een stad stichten (I, 6.3-4)

1 Ita Numitori Albana re permissa Romulum Remumque
cupido cepit in iis locis, ubi expositi ubique educati erant,
urbis condendae. Et supererat multitudo Albanorum
Latinorumque; ad id pastores quoque accesserant, qui omnes
5 facile spem facerent parvam Albam, parvum Lavinium prae
ea urbe, quae conderetur, fore. Intervenit deinde his
cogitationibus avitum malum, regni cupido, atque inde
foedum certamen, coortum a satis miti principio. Quoniam
gemini essent nec aetatis verecundia discrimen facere posset,
10 ut di quorum tutelae ea loca essent, auguriis legerent, qui
nomen novae urbi daret, qui conditam imperio regeret,
Palatium Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum
templa capiunt.

b. De broedermoord (I, 7.1-3)

1 Priori Remo augurium venisse fertur, sex vultures; iamque
nuntiato augurio cum duplex numerus Romulo se ostendisset,
utrumque regem sua multitudo consulaverat: tempore illi
praecepto, at hi numero avium regnum trahebant. Inde cum
5 altercatione congressi certamine irarum ad caedem vertuntur;
ibi in turba ictus Remus cecidit. Volgatior fama est ludibrio
fratris Remum novos transiluisse muros; inde ab irato
Romulo, cum verbis quoque increpitans adiecisset, ‘Sic
deinde, quicumque alius transiliet moenia mea’, interfectum.
10 Ita solus potitus imperio Romulus; condita urbs conditoris
nomine appellata. Palatium primum, in quo ipse erat
educatus, muniit. Sacra dis aliis Albano ritu, Graeco Herculi,
ut ab Euandro instituta erant, facit.

c. Cacus steelt Hercules' runderen (I, 7.4-7)

- 1 Herculem in ea loca Geryone interempto boves mira specie
abegisse memorant, ac prope Tiberim fluvium, qua prae se
armentum agens nando traiecerat, loco herbido ut quiete et
pabulo laeto reficeret boves, et ipsum fessum via procubuisse.
- 5 Ibi cum eum cibo vinoque gravatum sopor oppressisset,
pastor accola eius loci, nomine Cacus, ferox viribus, captus
pulchritudine boum cum avertere eam praedam vellet, quia, si
agendo armentum in speluncam compulisset, ipsa vestigia
quaerentem dominum eo deductura erant, aversos boves,
10 eximium quemque pulchritudine, caudis in speluncam traxit.
Hercules ad primam auroram somno excitus cum gregem
perlustrasset oculis et partem abesse numero sensisset, pergit
ad proximam speluncam, si forte eo vestigia ferrent. Quae ubi
omnia foras versa vidit nec in partem aliam ferre, confusus
15 atque incertus animi ex loco infesto agere porro armentum
occepit. Inde cum actae boves quaedam ad desiderium, ut fit,
relictorum mugissent, reddita inclusorum ex spelunca boum

vox Herculem convertit. Quem cum vadentem ad speluncam

Cacus vi prohibere conatus esset, ictus clava fidem pastorum

20 nequiquam invocans mortem occubuit.

d. De oprichting van Ara Maxima (I, 7.8-15)

1 Euander tum ea, profugus ex Peloponneso, auctoritate magis
quam imperio regebat loca, venerabilis vir miraculo
litterarum, rei novae inter rudes artium homines, venerabilior
divinitate credita Carmentae matris, quam fatiloquam ante
5 Sibyllae in Italiam adventum miratae eae gentes fuerant. Is
tum Euander concursu pastorum trepidantium circa advenam
manifestae reum caedis excitus postquam facinus facinorisque
causam audivit, habitum formamque viri aliquantum
ampliorem augustioremque humana intuens rogitat, qui vir
10 esset. Ubi nomen patremque ac patriam accepit, 'Iove nate,
Hercules, salve,' inquit; 'te mihi mater, veridica interpres
deum, aucturum caelestium numerum cecinit, tibi que aram
hic dicatum iri, quam opulentissima olim in terris gens
maximam vocet tuoque ritu colat.' Dextra Hercules data
15 accipere se omen impleturumque fata ara condita ac dicata ait.

2. OORLOG MET DE SABIJNEN (*Ab Urbe Condita I, 12-13*)

a. Romulus belooft Jupiter Stator een tempel (I, 12.1-7)

1 Tenuere tamen arcem Sabini; atque inde postero die, cum
Romanus exercitus instructus quod inter Palatinum
Capitolinumque collem campi est complexisset, non prius
descenderunt in aequum quam ira et cupiditate recipierandae
5 arcis stimulante animos in adversum Romani subiere.
Principes utrimque pugnam ciebant ab Sabinis Mettius
Curtius, ab Romanis Hostius Hostilius. Hic rem Romanam
iniquo loco ad prima signa animo atque audacia sustinebat. Ut
Hostius cecidit, confestim Romana inclinatur acies
10 fusaque est ad veterem portam Palati. Romulus et ipse turba
fugientium actus, arma ad caelum tollens, 'Iuppiter, tuis'
inquit 'iussus avibus hic in Palatio prima urbi fundamenta ieci.
Arcem iam scelere emptam Sabini habent; inde huc armati
superata media valle tendunt; at tu, pater deum
15 hominumque, hinc saltem arce hostes; deme terrorem
Romanis fugamque foedam siste. Hic ego tibi templum Statori

Iovi, quod monumentum sit posteris tua praesenti ope
servatam urbem esse, voveo.’ Haec precatus, veluti si sensisset
auditas preces, ‘Hinc,’ inquit, ‘Romani, Iuppiter optimus
20 maximus resistere atque iterare pugnam iubet.’ Restitere
Romani tamquam caelesti voce iussi: ipse ad primores
Romulus provolat.

b. De Romeinen overwinnen de Sabijnen (I, 12.8-10)

1 Mettius Curtius ab Sabinis princeps ab arce decucurrerat et
effusos egerat Romanos, toto quantum foro spatium est. Nec
procul iam a porta Palati erat clamitans: 'Vicimus perfidos
hospites, imbelles hostes; iam sciunt longe aliud esse virgines
5 rapere, aliud pugnare cum viris.' In eum haec gloriantem cum
globo ferocissimorum iuvenum Romulus impetum facit. Ex
equo tum forte Mettius pugnabat; eo pelli facilius fuit. Pulsum
Romani persequuntur; et alia Romana acies audacia regis
accensa, fundit Sabinos. Mettius in paludem sese strepitu
10 sequentium trepidante equo coniecit; averteratque ea res
etiam Sabinos tanti periculo viri. Et ille quidem adnventibus
ac vocantibus suis favore multorum addito animo evadit:
Romani Sabinique in media convalle duorum montium
redintegant proelium; sed res Romana erat superior.

3. DE APOTHEOSE VAN ROMULUS (*Ab Urbe Condita I, 15.6-16.8*)

In de tussenliggende tekst beschrijft Livius nog een paar oorlogen die Romulus met naburige steden heeft gevoerd.

a. Romulus laat een krachtig Rome na (*I, 15.6-8*)

- 1 Haec ferme Romulo regnante domi militiaeque gesta, quorum
nihil absonum fidei divinae originis divinitatisque post
mortem creditae fuit, non animus in regno avito recipiendo,
non condendae urbis consilium, non bello ac pace firmandae.
- 5 Ab illo enim profecto viribus datis tantum valuit, ut in
quadraginta deinde annos tutam pacem haberet. Multitudini
tamen gratior fuit quam patribus, longe ante alios
acceptissimus militum animis; trecentosque armatos ad
custodiam corporis, quos Celeres appellavit, non in bello
- 10 solum sed etiam in pace habuit.

b. Romulus is plotseling tijdens noodweer verdwenen (I, 16.1-5)

1 His mortalibus editis operibus cum ad exercitum
recensendum contionem in campo ad Caprae paludem
haberet, subito coorta tempestas cum magno fragore
tonitribusque tam denso regem operuit nimbo, ut conspectum
5 eius contioni abstulerit; nec deinde in terris Romulus fuit.
Romana pubes sedato tandem pavore, postquam ex tam
turbido die serena et tranquilla lux rediit, ubi vacuam sedem
regiam vidit, etsi satis credebat patribus, qui proximi steterant,
sublimem raptum procella, tamen velut orbitatis metu icta
10 maestum aliquamdiu silentium obtinuit. Deinde a paucis
initio facto, deum deo natum, regem parentemque urbis
Romanae salvere universi Romulum iubent; pacem precibus
exposcunt, uti volens propitius suam semper sospitet
progeniem. Fuisse credo tum quoque aliquos, qui discerptum
15 regem patrum manibus taciti arguerent; manavit enim haec
quoque, sed perobscura fama; illam alteram admiratio viri et

pavor praesens nobilitavit. Et consilio etiam unius hominis
addita rei dicitur fides.

c. Romulus maakt zich als god bekend (I, 16.5-8)

1 Namque Proculus Iulius, sollicita civitate desiderio regis et
infensa patribus, gravis, ut traditur, quamvis magnae rei
auctor in contionem prodit. 'Romulus' inquit, 'Quirites, parens
urbis huius, prima hodierna luce caelo repente delapsus se
5 mihi obvium dedit. Cum perfusus horrore venerabundusque
adstitissem petens precibus, ut contra intueri fas esset,' 'Abi,
nuntia' 'inquit' 'Romanis, caelestes ita velle, ut mea Roma
caput orbis terrarum sit; proinde rem militarem colant
sciantque et ita posteris tradant nullas opes humanas armis
10 Romanis resistere posse.' 'Haec' inquit 'locutus sublimis abiit.'
Mirum quantum illi viro nuntianti haec fides fuerit, quamque
desiderium Romuli apud plebem exercitumque facta fide
immortalitatis lenitum sit.

HOOFDSTUK 6 LUCUMO KRIJGT EEN VOORTEKEN

Na de dood van Ancus Martius, die 24 jaar had geregeerd, wordt Tarquinius in de volksvergadering tot koning gekozen, waarbij hij ervoor gezorgd had dat Ancus'zoons buiten Rome verbleven. Hij voert met succes oorlog tegen de Sabijnen en de Latijnen en verovert onder meer Latium. Als eerste organiseert hij omvangrijke spelen op het terrein van de huidige Circus Maximus.

Na de oorlogen zet hij de bevolking aan een vreedzame arbeid: hij laat een muur om Rome aanleggen en riolen graven om de laaggelegen wijken van de stad te draineren. Ook legt hij de fundamenten van de Jupitertempel op het Capitool.

1. DE ETRUSK LUCUMO VERTREKT NAAR ROME (*Ab Urbe Condita* I, 34)

a. Lucumo als enige erfgenaam (I, 34.1-3)

- 1 Anco regnante Lucumo, vir impiger ac divitiis potens, Romam
commigravit cupidine maxime ac spe magni honoris, cuius
adipiscendi Tarquiniis — nam ibi quoque peregrina stirpe
oriundus erat — facultas non fuerat. Demarati Corinthii filius
5 erat, qui, ob seditiones domo profugus, cum Tarquiniis forte
consedisset, uxore ibi ducta duos filios genuit. Nomina his
Lucumo atque Arruns fuerunt. Lucumo superfuit patri
bonorum omnium heres: Arruns prior quam pater moritur
uxore gravida relicta. Nec diu manet superstes filio pater; qui
10 cum, ignorans nurum ventrem ferre, immemor in testando
nepotis decessisset, puero post avi mortem in nullam sortem
bonorum nato ab inopia Egerio inditum nomen.

b. Lucumo en Tanaquil verhuizen naar Rome (I, 34-4-7)

1 Lucumoni contra, omnium heredi bonorum, cum divitiae iam
animos facerent, auxit ducta in matrimonium Tanaquil,
summo loco nata et quae haud facile iis, in quibus nata erat,
humiliora sineret ea, quo innupsisset. Spernentibus Etruscis
5 Lucumonem exsule advena ortum, ferre indignitatem non
potuit, oblitaque ingenitae erga patriam caritatis, dummodo
virum honoratum videret, consilium migrandi ab Tarquiniis
cepit. Roma est ad id aptissima visa: in novo populo, ubi
omnis repentina atque ex virtute nobilitas sit, futurum locum
10 forti ac strenuo viro; regnasse Tatium Sabinum, arcessitum in
regnum Numam a Curibus, et Ancum Sabina matre ortum
nobilemque una imagine Numae esse. Facile persuadet ut
cupido honorum et cui Tarquiniis materna tantum patria esset.
Sublatis itaque rebus amigrant Romam.

c. Lucumo krijgt een voorteken (I, 34.8-10)

1 Ad Ianiculum forte ventum erat. Ibi ei, carpento sedenti cum
uxore, aquila suspensis demissa leniter alis pilleum aufert,
superque carpentum cum magno clangore volitans rursus
velut ministerio divinitus missa capiti apte reponit; inde
5 sublimis abiit. Accepisse id augurium laeta dicitur Tanaquil,
perita, ut volgo Etrusci, caelestium prodigiorum mulier.
Excelsa et alta sperare complexa virum iubet: eam alitem ea
regione caeli et eius dei nuntiam venisse; circa summum
culmen hominis auspiciam fecisse; levasse humana
10 manu superpositum capiti decus, ut divinitus eidem redderet.
Has spes cogitationesque secum portantes urbem ingressi
sunt, domicilioque ibi comparato L. Tarquinius Priscum
edidere nomen.

d. Lucumo wordt adviseur van de koning (I, 34.11-12)

1 Romanis conspicuum eum novitas divitiaeque faciebant; et
ipse fortunam benigno adloquio, comitate invitandi
beneficiisque quos poterat sibi conciliando adiuvabat, donec
in regiam quoque de eo fama perlata est. Notitiamque eam
5 brevi, apud regem liberaliter dextereque obeundo officia, in
familiaris amicitiae adduxerat iura, ut publicis pariter ac
privatis consiliis bello domique interesset et per omnia
expertus postremo tutor etiam liberis regis testamento
institueretur.

HOOFDSTUK 7 VOORTEKENS TIJDENS HET LEVEN VAN SERVIUS TULLIUS

1. DE ZOON VAN EEN KRIJGSGEVANGENE (*Ab Urbe Condita I, 39*)

a. Een ongewoon voorteken (I, 39.1-3)

1 Eo tempore in regia prodigium visu eventoque mirabile fuit.

Puerο dormienti, cui Servio Tullio fuit nomen, caput arsisse

ferunt multorum in conspectu; plurimo igitur clamore inde ad

tantae rei miraculum orto, excitos reges, et cum quidam

5 familiarium aquam ad restinguendum ferret, ab regina

retentum, sedatoque eam tumultu moveri vetuisse puerum,

donec sua sponte experrectus esset; mox cum somno et

flammam abisse. Tum abducto in secretum viro Tanaquil

‘Videsne tu puerum hunc’ inquit, ‘quem tam humili cultu

10 educamus? Scire licet hunc lumen quondam rebus nostris

dubiis futurum praesidiumque regiae adflictae; proinde

materiam ingentis publice privatimque decoris omni

indulgentia nostra nutriamus.’

b. De adellijke afkomst van Servius Tullius (I, 39.4-6)

1 Inde puerum liberum loco coeptum haberi erudirique artibus
quibus ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur. Evenit
facile quod dis cordi esset: iuvenis evasit vere indolis regiae
nec, cum quaereretur gener Tarquinio, quisquam Romanae
5 iuventutis ulla arte conferri potuit, filiamque ei suam rex
despondit. Hic quacumque de causa tantus illi honos habitus
credere prohibet serva natum eum parvumque ipsum
servisse. Eorum magis sententiae sum, qui Corniculo capto
Ser. Tulli, qui princeps in illa urbe fuerat, gravidam viro
10 occiso uxorem, cum inter reliquas captivas cognita esset, ob
unicam nobilitatem ab regina Romana prohibitam ferunt
servitio partum Romae edidisse in Prisci Tarquini domo; inde
tanto beneficio et inter mulieres familiaritatem auctam et
puerum, ut in domo a parvo eductum, in caritate atque
15 honore fuisse; fortunam matris, quod, capta patria, in hostium
manus venerit, ut serva natus crederetur fecisse.

2. EEN TEMPEL VOOR DIANA (*Ab Urbe Condita I, 45*)

a. Romeinen en Latijnen wijden een tempel aan Diana (I, 45.1-3)

1 Aucta magnitudine urbis, formatis omnibus domi et ad belli et
ad pacis usus, ne semper armis opes acquirerentur, consilio
augere imperium conatus est, simul et aliquod addere urbi
decus. Iam tum erat inclitum Dianae Ephesiae fanum; id
5 communiter a civitatibus Asiae factum fama ferebat. Eum
consensum deosque consociatos laudare mire Servius inter
procures Latinorum, cum quibus publice privatimque hospitia
amicitiasque de industria iunxerat. Saepe iterando eadem
perpulit tandem, ut Romae fanum Dianae populi Latini cum
10 populo Romano facerent. Ea erat confessio caput rerum
Romam esse, de quo totiens armis certatum fuerat. Id
quamquam omissum iam ex omnium cura Latinorum ob rem
totiens infeliciter temptatam armis videbatur, uni se ex
Sabinis fors dare visa est privato consilio imperii recipiendi.

b. Een wonderbaarlijke koe (I, 45.4-7)

1 Bos in Sabinis nata cuidam patri familiae dicitur miranda
magnitudine ac specie; fixa per multas aetates cornua in
vestibulo templi Dianae monumentum ei fuere miraculo.
Habita, ut erat, res prodigii loco est, et cecinere vates cuius
5 civitatis eam civis Dianae immolasset, ibi fore imperium;
idque carmen pervenerat ad antistitem fani Dianae
Sabinusque, ut prima apta dies sacrificio visa est, bovem
Romam actam deducit ad fanum Dianae et ante aram statuit.
Ibi antistes Romanus, cum eum magnitudo victimae celebrata
10 fama movisset, memor responsi Sabinum ita adloquitur:
'Quidnam tu, hospes, paras?' inquit; 'Inceste sacrificium
Dianae facere? Quin tu ante vivo perfunderis flumine? Infima
valle praefluit Tiberis.' Religione tactus hospes, qui omnia, ut
prodigio responderet eventus, cuperet rite facta, extemplo
15 descendit ad Tiberim; interea Romanus immolat Dianae
bovem. Id mire gratum regi atque civitati fuit.

HOOFDSTUK 8 TARQUINIUS SUPERBUS RAADPLEEGT HET ORAKEL

1. EEN WAARSCHUWING VOOR TARQUINIUS SUPERBUS (*Ab Urbe Condita I, 56*)

Lucius Superbus, zoon van Tarquinius Priscus, heeft het koningschap verworven door Servius Tullius, zijn schoonvader, te laten vermoorden.

Als Tarquinius Superbus ('de Trotse') is hij de geschiedenis ingegaan. Niet legitiem aan de macht gekomen, omringt hij zich met een lijfwacht en oefent in Rome een schrikbewind uit. Hij lijft Latium in en onderwerpt onder meer de stad Gabii. Met de buit die oorlogsvoering hem oplevert kan hij de bouw van de Jupitertempel op het Capitool bekostigen.

a. Bouwactiviteiten in Rome (*I, 56.1-3*)

- 1 Intentus perficiendo templo, fabris undique ex Etruria accitis,
non pecunia solum ad id publica est usus, sed operis etiam ex
plebe. Qui cum haud parvus et ipse militiae adderetur labor,
minus tamen plebs gravabatur se templa deum exaedificare
5 manibus suis, quam postquam et ad alia, ut specie minora, sic
laboris aliquanto maioris traducebantur opera, foros in circo
faciendos cloacamque maximam, receptaculum omnium
purgamentorum urbis, sub terra agendam; quibus duobus
operibus vix nova haec magnificentia quicquam adaequare
10 potuit. His laboribus exercita plebe, quia et urbi multitudinem,
ubi usus non esset, oneri rebatur esse, et colonis mittendis

occupari latius imperii fines volebat, Signiam Circeiosque
colonos misit, praesidia urbi futura terra marique.

b. Tarquinius is verontrust door een voorteken (I, 56.4-8)

1 Haec agenti portentum terribile visum: anguis ex columna
ligna elapsus cum terrorem fugamque in regiam fecisset,
ipsius regis non tam subito pavore perculit pectus quam anxiis
implevit curis. Itaque cum ad publica prodigia Etrusci tantum
5 vates adhiberentur, hoc velut domestico exterritus visu
Delphos ad maxime inclitum in terris oraculum mittere
statuit. Neque responsa sortium ulli alii committere ausus,
duos filios per ignotas ea tempestate terras, ignotiora maria in
Graeciam misit. Titus et Arruns profecti; comes iis additus
10 L. Iunius Brutus, Tarquinia, sorore regis, natus, iuvenis longe
alius ingenio quam cuius simulationem induerat. Is cum
primores civitatis, in quibus fratrem suum, ab avunculo
interfectum audisset, neque in animo suo quicquam regi
timendum neque in fortuna concupiscendum relinquere
15 statuit contemptuque tutus esse, ubi in iure parum praesidii
esset. Ergo ex industria factus ad imitationem stultitiae, cum
se suaque praedae esse regi sineret, Bruti quoque haud abnuit

cognomen, ut sub eius obtentu cognominis liberator ille
populi Romani animus latens opperiretur tempora sua.

c. Het antwoord van het Delphisch orakel (I, 56.9-13)

1 Is tum ab Tarquiniis ductus Delphos, ludibrium verius quam
comes, aureum baculum inclusum corneo cavato ad id baculo
tulisse donum Apollini dicitur, per ambages effigiem ingenii
sui. Quo postquam ventum est, perfectis patris mandatis
5 cupido incessit animos iuvenum sciscitandi ad quem eorum
regnum Romanum esset venturum. Ex infimo specu vocem
redditam ferunt: ‘imperium summum Romae habebit, qui
vestrum primus, o iuvenes, osculum matri tulerit.’ Tarquiniū ut
Sextus, qui Romae relictus fuerat, ignarus responsi expersque
10 imperii esset, rem summa ope taceri iubent; ipsi inter se uter
prior, cum Romam redisset, matri osculum daret, sorti
permittunt. Brutus alio ratus spectare Pythicam vocem, velut si
prolapsus cecidisset, terram osculo contigit, scilicet quod ea
communis mater omnium mortalium esset. Reditum inde
15 Romam, ubi adversus Rutulos bellum summa vi parabatur.

HOOFDSTUK 10 REDDING EN OPOFFERING

2. MARCUS CURTIUS (*Ab Urbe Condita VII, 6.1-6*)

In het jaar 364 gebeurde het volgende te Rome.

a. Een gat in de grond (*VII, 6.1-3*)

- 1 Eodem anno, seu motu terrae seu qua vi alia, forum medium
ferme specu vasto conlapsum in immensam altitudinem
dicitur; neque eam voraginem coniectu terrae, cum pro se
quisque gereret, expleri potuisse, priusquam deum monitu
5 quaeri coeptum, quo plurimum populus Romanus posset; id
enim illi loco dicandum vates canebant, si rem publicam
Romanam perpetuam esse vellent.

b. Marcus Curtius offert zich op (VII, 6.3-6)

1 Tum M. Curtium, iuvenem bello egregium, castigasse ferunt
dubitantes, an ullum magis Romanum bonum quam arma
virtusque esset; silentio facto templa deorum immortalium,
quae foro imminent, Capitoliumque intuentem et manus nunc
5 in caelum, nunc in patentes terrae hiatus ad deos manes
porrigentem, se devovisse; equo deinde quam poterat maxime
exornato insidentem, armatum se in specum immisisse;
donaque ac fruges super eum a multitudine virorum ac
mulierum congestas, lacumque Curtium non ab antiquo illo
10 T. Tati milite Curtio Mettuo sed ab hoc appellatum. Cura non
deesset, si qua ad verum via inquirentem ferret; nunc fama
rerum standum est, ubi certam derogat vetustas fidem; et
lacus nomen ab hac recentiore insignitius fabula est.

HOOFDSTUK 11 WONDERTEKENS, EN (BIJ)GELOOF TIJDENS DE TWEEDE PUNISCHE OORLOG

3. HULP VAN DE GODEN NA DE SLAG BIJ CANNAE (*Ab Urbe Condita XXII, 57.1-6 en XXIII, 11.1-6*)

a. Een ongunstig voorteken (*XXII, 57.1-6*)

Nadat de brieven van de consul en de propraetor waren voorgelezen, besloten de senatoren praetor Marcus Claudius Marcellus, die het commando voerde over de vloot bij Ostia, naar het leger in Canusium te sturen en de consul te schrijven dat hij het leger aan de praetor moest overdragen en naar Rome moest komen, zodra het staatsbelang dat toeliet.

1 Territi etiam super tantas clades cum ceteris prodigiis, tum

quod duae Vestales eo anno, Opimia atque Floronia, stupri

compertae et altera sub terra, uti mos est, ad portam

Collinam necata fuerat, altera sibimet ipsa mortem

5 consciverat. L. Cantilius scriba pontificius, quos nunc minores

pontifices appellant, qui cum Floronia stuprum fecerat, a

pontifice maximo eo usque virgis in comitio caesus erat, ut

inter verbera exspiraret. Hoc nefas cum inter tot, ut fit, clades

in prodigium versum esset, decemviri libros adire iussi sunt et

10 Q. Fabius Pictor Delphos ad oraculum missus est sciscitatum,

quibus precibus suppliciisque deos possent placare, et

quaenam futura finis tantis cladibus foret. Interim ex fatalibus

libris sacrificia aliquot extraordinaria facta, inter quae Gallus
et Galla, Graecus et Graeca in foro bovario sub terram vivi
15 demissi sunt in locum saxo consaeptum, iam ante hostiis
humanis, minime Romano sacro, imbutum.

b. Het antwoord van Delphi (XXIII, 11.1-3)

1 Dum haec geruntur, Q. Fabius Pictor legatus a Delphis Romam
rediit responsumque ex scripto recitavit. Divi divaeque in eo
erant, quibus quoque modo supplicaretur; tum: 'Si ita faxitis,
Romani, vestrae res meliores facilioresque erunt, magisque ex
5 sententia res publica vestra vobis procedet, victoriaque duelli
populi Romani erit. Pythio Apollini re publica vestra bene
gesta servataque lucris meritis donum mittitote deque praeda
manubiis spoliisque honorem habetote; lasciviam a vobis
prohibitote.'

c. De adviezen van het orakel worden uitgevoerd (XXIII, 11.4-6)

1 Haec ubi ex Graeco carmine interpretata recitavit, tum dixit se
oraculo egressum extemplo iis omnibus divis rem divinam ture
ac vino fecisse; iussumque ab templi antistite, sicut coronatus
laurea corona et oraculum adisset et rem divinam fecisset, ita
5 coronatum navem adscendere nec ante deponere eam quam
Romam pervenisset; se, quaecumque imperata sint, cum
summa religione ac diligentia exsecutum coronam Romae in
aram Apollinis deposuisse. Senatus decrevit, ut eae res divinae
supplicationesque primo quoque tempore cum cura fierent.

6. EEN NIEUWE GODIN WORDT IN ROME GEÏNTRODUCEERD

(Ab Urbe Condita XXIX, 10.4-11.8 en XXIX, 14.5-14)

b. Wie is de beste Romein (XXIX, 14.5-9)

De Romeinse burgerij leefde in gespannen verwachting dat men dit jaar (204) in Afrika zou gaan vechten en dat spoedig het einde van de Punische oorlog in zicht was. Die gedachte had de mensen van allerlei bijgeloof vervuld. Zo werd verteld dat er twee zonnen gezien waren, dat het in de nacht plotseling licht was geworden. Men had een meteor voorbij zien schieten. In Tarracina en Anagnia was de bliksem ingeslagen. In een tempel van Juno had men een oorverdovende knal gehoord. Er werd één biddag gehouden om dit alles te verzoenen. Verder werd er een negendaags offerfeest gehouden omdat het stenen had geregend.

1 Eo accessit consultatio de matre Idaeae accipienda, quam,

praeterquam quod M. Valerius unus ex legatis, praegressus

actutum in Italia fore nuntiaverat, recens nuntius aderat

Tarracinae iam esse. Haud parvae rei iudicium senatum

5 tenebat, qui vir optimus in civitate esset; veram certe

victoriam eius rei sibi quisque mallet quam ulla imperia

honeste suffragio seu patrum seu plebis delatos.

P. Scipionem Cn. filium eius, qui in Hispania ceciderat,

adulescentem nondum quaestorium, iudicaverunt in tota

10 civitate virum bonorum optimum esse. - Id, quibus virtutibus

inducti ita iudicaverunt, sicut traditum a proximis memoriae

temporum illorum scriptoribus libens posteris traderem, ita

meas opiniones coniectando rem vetustate obrutam non
interponam.

c. De godin wordt ontvangen (XXIX, 14.10-14)

1 P. Cornelius cum omnibus matronis Ostiam obviam ire deae
iussus; isque eam de nave acciperet et in terram elatam
traderet ferendam matronis. Postquam navis ad ostium amnis
Tiberini accessit, sicut erat iussus, in salum nave evectus ab
5 sacerdotibus deam accepit extulitque in terram. Matronae
primores civitatis, inter quas unius Claudiae Quintae insigne
est nomen, accepere; cui dubia, ut traditur, antea fama
clariorem ad posteros tam religioso ministerio pudicitiam fecit.
Eae per manus, succedentes deinde aliae aliis, omni
10 obviam effusa civitate, turibulis ante ianuas positis, qua
praeferebatur, atque accenso ture, precantibus ut volens
propitiaque urbem Romanam iniret, in aedem Victoriae, quae
est in Palatio, pertulere deam pridie idus Apriles; isque dies
festus fuit. Populus frequens dona deae in Palatium tulit,
15 lectisterniumque et ludi fuere, Megalesia appellata.

b. Aebutius moet zich laten inwijden (XXXIX, 9.1-4)

1 Huius mali labes ex Etruria Romam velut contagione morbi
penetravit. Primo magnitudo urbis capacior patientiorque
talium malorum ea celavit; tandem indicium hoc maxime
modo ad Postumium consulem pervenit. P. Aebutius, cuius
5 pater publico equo stipendia fecerat, pupillus relictus, mortuis
deinde tutoribus sub tutela Duroniae matris et vitrici T.
Semproni Rutili educatus fuerat. Et mater dedita viro erat, et
vitricus, quia tutelam ita gesserat ut rationem reddere non
posset, aut tolli pupillum aut obnoxium sibi vinculo aliquo
10 fieri cupiebat. Via una corruptelae Bacchanalia erant. Mater
adulescentulum appellat: se pro aegro eo vovisse, ubi primum
convaluisset, Bacchis eum se initiaturam; damnatam voti
benignitate deum exsolvere id velle; decem dierum castimonia
opus esse; decimo die cenatum, deinde pure lautum, in
15 sacrarium deducturam.

c. De verhouding van *Hispala en Aebutius* (XXXIX, 9.5-7)

1 Scortum nobile libertina *Hisपाला* *Faecenia*, non digna quaestu
cui ancillula adsuerat, etiam postquam manumissa erat
eodem se genere tuebatur. Huic consuetudo iuxta vicinitatem
cum *Aebutio* fuit, minime adolescentis aut rei aut famae
5 damnosa: ultro enim amatus adpetitusque erat, et, maligne
omnia praebentibus suis, meretriculae munificentia
sustinebatur. Quin eo processerat consuetudine capta, ut post
patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore ab tribunis
et praetore petito, cum testamentum faceret, unum *Aebutium*
10 institueret heredem.

d. Aebutius vertelt Hispala over zijn inwijding (XXXIX, 10.1-4)

- 1 Haec amoris pignora cum essent, nec quicquam secretum
alter ab altero haberent, per iocum adolescens vetat eam
mirari, si per aliquot noctes secubisset: religionis se causa, ut
voto pro valetudine sua facto liberetur, Bacchis initiari velle.
- 5 Id ubi mulier audivit, perturbata ‘Di meliora!’ inquit; mori et
sibi et illi satius esse quam id faceret, et in caput eorum
detestari minas periculaque qui id suasissent. Admiratus cum
verba tum perturbationem tantam, adolescens parcere
exsecrationibus iubet: matrem id sibi adsentiente vitrico
- 10 imperasse. ‘Vitricus ergo,’ inquit, ‘tuus (matrem enim
insimulare forsitan fas non sit) pudicitiam famam spem
vitamque tuam perditum ire hoc facto properat.’

e. Hispala informeert Aebutius over de Bacchanalia (XXXIX, 10.5-9)

1 Eo magis mirabundo quaerentique quid rei esset, pacem
veniamque precata deorum dearumque, si coacta caritate eius
silenda enuntiasset, ancillam se ait dominae comitem id
sacrarium intrasse, liberam nunquam eo accessisse. Scire
5 corruptelarum omnis generis eam officinam esse, et iam
biennio constare neminem initiatum ibi maiorem annis viginti.
Ut quisque introductus sit, velut victimam tradi sacerdotibus;
eos deducere in locum, qui circumsonet ululatus cantuque
symphoniae et cymbalorum et tympanorum pulsu, ne vox
10 quiritantis, cum per vim stuprum inferatur, exaudiri possit.
Orare inde atque obsecrare, ut eam rem quocumque modo
discuteret, nec se eo praecipitaret, ubi omnia infanda patienda
primum, deinde facienda essent. Neque ante dimisit eum
quam fidem dedit adulescens ab his sacris se temperaturum.

f. Aebutius' confrontatie met zijn ouders (XXXIX, 11.1-3)

1 Postquam domum venit, et mater mentionem intulit quid eo
die, quid deinceps ceteris, quae ad sacra pertinerent,
faciendum esset, negat eorum se quicquam facturum, nec
initiari sibi in animo esse. Aderat sermoni vitricus. Confestim
5 mulier exclamat Hispalae concubitu carere eum decem noctes
non posse; illius excetrae delenimentis et venenis imbutum
nec parentis nec vitrici nec deorum verecundiam habere.
Iurgantes hinc mater hinc vitricus cum quattuor eum servis
domo exegerunt. Adulescens inde ad Aebutiam se amitam
10 contulit, causamque ei, cur esset a matre eiectus, narravit.
Deinde ex auctoritate eius postero die ad consulem
Postumium, arbitris remotis, rem detulit.

g. De consul regelt een ontmoeting met Aebutia (XXXIX, 11.4-7)

1 Consul post diem tertium redire ad se iussum dimisit. Ipse
Sulpiciam, gravem feminam, socrum suam, percunctatus est,
ecquam anum Aebutiam ex Aventino nosset. Cum eam nosse
probam et antiqui moris feminam respondisset, opus esse sibi
5 ea conventa dixit: mitteret nuntium ad eam, ut veniret.
Aebutia accita ad Sulpiciam venit, et consul paulo post,
velut forte intervenisset, sermonem de Aebutio fratris eius
filio infert. Lacrimae mulieri obortae, et miserari casum
adulescentis coepit, qui spoliatus fortunis, a quibus minime
10 oporteret, apud se tunc esset, eiectus a matre quod probus
adulescens (di propitii essent!) obscenis, ut fama esset, sacris
initiari nollet.

h. De consul laat Hispala halen (XXXIX, 12.1-9)

1 Satis exploratum de Aebutio ratus consul non vanum
auctorem esse, Aebutia dimissa socrum rogat, ut Hispalam
indidem ex Aventino libertinam non ignotam viciniaie
accerseret ad sese: eam quoque esse quae percunctari vellet.

5 Ad cuius nuntium perturbata Hispala, quod ad tam nobilem et
gravem feminam ignara causae accerseretur, postquam
lictos in vestibulo turbamque consularem et consulem
ipsum conspexit, prope exanimata est. In interiorem partem
aedium abductam, socru adhibita, consul, si vera dicere
10 inducere in animum posset, negat perturbari debere; fidem vel
a Sulpicia, tali femina, vel ab se acciperet; expromeret sibi,
quae in luco Stimulae Bacchanalibus in sacro nocturno
solerent fieri. Hoc ubi audivit, tantus pavor tremorque
omnium membrorum mulierem cepit, ut diu hiscere non
15 posset. Tandem confirmata puellam admodum se ancillam
initiatam cum domina ait: aliquot annis, ex quo manumissa
sit, nihil quid ibi fiat scire. Iam id ipsum consul laudare, quod

initiatam se non infitiaretur, sed et cetera eadem fide
expromeret. Neganti ultra quicquam scire non eandem dicere,
20 si coarguatur ab alio, ac per se fatenti veniam aut gratiam fore;
eum sibi omnia exposuisse, qui ab illa audisset.

i. Hispala kan met moeite gerust gesteld worden (XXXIX, 13.1-7)

1 Mulier haud dubie, id quod erat, Aebutium indicem arcani
rata esse, ad pedes Sulpiciae procidit, et eam primo orare
coepit, ne mulieris libertinae cum amatore sermonem in rem
non seriam modo sed capitalem etiam verti vellet; se terrendi
5 eius causa, non quo sciret quicquam, ea locutam esse. Hic
Postumius accensus ira tum quoque ait eam cum Aebutio se
amatore cavillari credere, non in domo gravissimae feminae et
cum consule loqui. Et Sulpicia attollere paventem, simul illam
adhortari, simul iram generi lenire. Tandem confirmata,
10 multum incusata perfidia Aebuti, qui optime de ipso merita
talem gratiam rettulisset, magnum sibi metum deorum,
quorum occulta initia enuntiaret, maiorem multo dixit
hominum esse, qui se indicem manibus suis discerpturi
essent. Itaque hoc se Sulpiciam hoc consulem orare, ut se
15 extra Italiam aliquo amandarent, ubi reliquum vitae degere
tuto posset. Bono animo esse iubere eam consul, et sibi curae
fore dicere, ut Romae tuto habitaret.

j. Hispala beschrijft de ontwikkeling van de cultus (XXXIX, 13.8-10)

1 Tum Hispala originem sacrorum expromit: primo sacrarium
id feminarum fuisse, nec quemquam eo virum admitti
solitum. Tres in anno statos dies habuisse, quibus interdiu
Bacchis initiarentur; sacerdotes in vicem matronas creati
5 solitas. Pacullam Anniam Campanam sacerdotem omnia,
tamquam deum monitu, immutasse: nam et viros eam
primam filios suos initiasse, Minium et Herennium Cerrinios,
et nocturnum sacrum ex diurno, et pro tribus in anno diebus
quinos singulis mensibus dies initiorum fecisse. Ex quo in
10 promiscuo sacra sint et permixti viri feminis, et noctis licentia
accesserit, nihil ibi facinoris, nihil flagitii praetermissum.
Plura virorum inter sese quam feminarum esse stupra.

k. De uitwassen van de cultus (XXXIX, 13.11-14)

1 Si qui minus patientes dedecoris sint et pigriores ad facinus, pro
victimis immolari. Nihil nefas ducere, hanc summam inter eos
religionem esse. Viros, velut mente capta, cum iactatione
fanatica corporis vaticinari; matronas Baccharum habitu
5 crinibus sparsis cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim,
demissasque in aquam faces, quia vivum sulphur cum calce
insit, integra flamma efferre. Raptos a diis homines dici, quos
machinae illigatos ex conspectu in abditos specus abripiant:
eos esse, qui aut coniurare aut sociari facinoribus aut stuprum
10 pati noluerint. Multitudinem ingentem, alterum iam prope
populum esse; in his nobiles quosdam viros feminasque.
Biennio proximo institutum esse, ne quis maior viginti annis
initiaretur: captari aetates et erroris et stupri patientes.

I. Postumius legt de zaak voor aan de Senaat (XXXIX, 14.1-5)

1 Peracto indicio, advoluta rursus genibus preces easdem,
ut se ablegaret, repetivit. Consul socrum rogat, ut aliquam
partem aedium vacuum faceret, quo Hispala immigraret.
Cenaculum super aedes datum est, scalis ferentibus in
5 publicum obseratis, aditu in aedes verso. Res omnes
Faeceniae extemplo translatae et familia accersita, et Aebutius
migrare ad consulis clientem iussus.
Ita cum indices ambo in potestate essent, rem ad senatum
Postumius defert, omnibus ordine expositis, quae delata
10 primo, quae deinde ab se inquisita forent. Patres pavor ingens
cepit, cum publico nomine, ne quid eae coniurationes
coetusque nocturni fraudis occultae aut periculi importarent,
tum privatim suorum cuiusque vicem, ne quis adfinis ei noxae
esset. Censuit autem senatus gratias consuli agendas, quod
15 eam rem et cum singulari cura et sine ullo tumultu
investigasset.

m. De maatregelen tegen de cultus (XXXIX, 14.6-10)

1 Quaestionem deinde de Bacchanalibus sacrisque nocturnis
extra ordinem consulibus mandant. Indicibus Aebutio ac
Faeceniae ne fraudi ea res sit curare, et alios indices praemiis
invitare iubent; sacerdotes eorum sacrorum, seu viri seu
5 feminae essent, non Romae modo sed per omnia fora et
conciliabula conquiri, ut in consulum potestate essent; edici
praeterea et in urbe Roma et per totam Italiam edicta mitti, ne
quis, qui Bacchis initiatus esset, coisse aut convenisse sacrorum
causa velit, neu quid talis rei divinae fecisse; ante omnia ut
10 quaestio de iis habeatur, qui coierint coniuraverintve, quo
stuprum flagitiumve inferretur. Haec senatus decrevit.
Consules aedilibus curulibus imperarunt, ut sacerdotes eius
sacri omnes conquirerent, comprehensosque libero conclavi
ad quaestionem servarent; aediles plebis viderent, ne qua
15 sacra in operto fierent. Triumviris capitalibus mandat est,
ut vigilias disponerent per urbem; servarent, ne qui

nocturni coetus fierent, utique ab incendiis caveretur;
adiutores triumviris quinquevirisque cis Tiberim suae quisque
regionis aedificiis praeesent.